


Patri, Fratibusq; Seniore Germanum, quem Natura prius editum voluerit, jure prius emergentem suspicientibus, in consortium justissimorum applausum ipsa Civitas accessit. Atlanti humeris cælum sustinenti, cum parum abfuisset, quin tanta mole victus succumberet, Herculem subvenisse, fabula est. Laboranti nostro Atlanti opportunum fortemq; Herculem adesse Successorem, Vratislavia tum verè prædicavit; hodiè propterea discessum Patris minus advertens, quod illius locum Filius jam suppleverit. Sed nec prætermittenda reliquorum Filiorum, GEORGII FRIDERICI, & WOLFROMI CHRISTIANI memoria. Quorum ille studiis moribusq; politissimus, ex Belgicis Academiis redux, venerabili Parenti in oblectamentum se obtulit: hic verò, postquam satis eidem, & quid jam posset, & quid in posterum præstare præsumeret, comprobasset, qua est ingenii præstantia, singulare daturus litteris acquiræ nobilitatis exemplum, Lipsiam sibi primam doctrinæ in patria partæ, alibi perficiendæ constituit Officinam. Hac suorum meritorum, hac Pignorum laude beatus ARTZATIUS noster, internis Conscientiæ doribus multo beatior, desideratissimam in cælis consummatissimamq; beatitudinem, immotæ in Servatorem suum fiduciæ plenus, intravit. Cujus jam vicem dolere, ut supervacuum videtur, sic nostram moderatius ferre possumus, quod nec ætatem ipse temporibus suis inutilem traduxerit, & pro se uno, tres reliquerit nobis ARTZATIUS.



Ad  
*Generosum atque Strenuum*  
**VIRUM**  
**DN. GEORGIUM**  
**FRIDERICUM** ab *Artzat*  
*& Groß-Schottkaw /*  
*Hæreditarium in Born / Zwenbrodt / Blanckenaw*  
*& Stühendorff /*

*Cum*  
*Genere ac Virtute Nobilissimam*  
**VIRGINEM**  
**URSULAM**  
**MARIAM,**  
**VIRI**

*Generosi, Magnifici atque Strenui*  
**DN. AUGUSTINI HENRICI**  
*à Kromayer & Groß-Sagetitz /*  
*Hæreditarii in Buckowien & Grünaitz / Reipubl. Vratisla-*  
*vienſis Senatoris Primarii, Rerumque ibidem Militarium,*  
*Commisarii Superioris*

**FILIAM PRIMOGENITAM**


*AUSPICATISSIMIS NUPTIIS*  
**Prid. Id. Novembr. M. DC. LXVIII.**

*Sibi conjunget*  
**ALLOQUIUM,**

*ita gratulante*  
**THEODORO JACOBI.**



*VRATISLAVIA,*  
*In Hæredum BAUMANNIANORUM Typographia,*  
*exprimebat JOH. CHRISTOPHORUS JACOBI, Factor.*



## Natura Mortalium Voto

quasi communi ad Gloriam tendit ;  
Ea Cupiditas à teneris incipit , ac per  
omnes ætatis gradus adolescendo vi-  
res acquirit ; Quique in hujus Vitæ  
Stadio metam propemodum attige-  
re , jam non intra limites ejus subsistere præsumunt , sed  
æternitatem cogitant. Huc via non una ducit ; hinc  
Studia diversa. Ac juvenilis quidem animus Sangvinis  
impetu ad ea nonnunquam fertur , quorum ipsum dein-  
ceps pœnitet , cùm severiori prudentiæ vacans de an-  
teactis erroribus gravi censurâ judicare incipit , mira-  
tus , se tam improvidè peccare potuisse. In universum  
autem vel Pacis artibus , vel armorum exercitio nomi-  
nis immortalitatem cuncti sectantur ; Sive enim inge-  
nio confisi rerum divinarum pariter atque humanarum  
contemplationi studeant , seu vitæ communi instruendæ  
sublevandæque operam navent , aut Reipublicæ Re-  
gimen subeant : nihil horum absque sensu quodam in-  
stinctuque gloriæ geritur. Jam qui bellorum discrimi-  
na non pavent , qui hanc inferiorem Mundi partem fer-  
ro & igni toties inter se dividunt , Ejus auspiciis mili-  
tant. Ille ipse pannosus grex , cujus anima & corpus  
denis in diem assibus æstimatur <sup>(\*)</sup> , hujus imagine ca-  
ptus sæpius , quam irâ in hostem fertur , & qui indolis  
depravatæ verum decus adipisci nequeunt , qualescunq;  
appetunt , ut sceleribus quoque inclarescere quidam  
malint , quàm penitus extingvi. Scilicet trahimur omnes

A 2

lau-

(\*) Tac. 1. An. 17. 4.

laudis Studio, & optimus quisq; maximè gloriâ ducitur. Ipsi etiam Philosophi iisdem Libris, quos de contemnendâ gloriâ scribunt, nomen suum inscribunt, dumq; prædicationem nobilitatemq; despiciunt, prædicari de se ac nominari volunt. Neque verò in Contemplationibus nostris & Ingenii Artisq; efficaciâ, rebusvè præclare domi forisq; gestis vis omnis gloriæ consistit; Quin immò & Sanctissimæ Societatis, quæ Nuptiis contrahitur, præcipuus finis est extensio & propagatio Nominis; Ex juris enim antiquissimi <sup>(b)</sup> sententiâ Liberos idcirco procreamus, ut ex Prole eorum diuturnitatis nobis memoriam comparemus. Cumq; Statuas & imagines, muta corporum simulacra, multi summi Homines studiosè reliquerint, ut memoria ipsorum Posteris innotesceret; quâ curâ unumquemque non affici credimus, ut veram mentis Sux Virtutumq; effigiem ex ipso Sangvine Suo productam exprimat? Hoc autem quid aliud est, quàm Gloriæ illud Srudium, ut, quoniam vita ipsa, quâ fruimur, brevis est, memoriam nostri quàm maximè longam efficiamus, & quatenus nobis denegatur diu vivere, aliquid relinquamus, quò nos vixisse testemur.

Tu quidem, Nobilissime ARTZATI, cum ab in-cunte statim ætate honestissimâ disciplinâ imbutus totum Te Litteris dares; cum sepositis juventutis illecebris amæniori doctrinâ ingenium excoleres; cum denique gravioribus studiis generosum pectus impleres, iudicium formares, affectus componeres, quid aliud propositum Tibi fuit, quàm laudis & Gloriæ illa merces? Eadem pulcherrima Cupido stimulos Tibi addidit, ut non contentus, quicquid Terrarum Orbis egregium haberet, vel auditu percepisse; vel ex Libris hausisse, Ipse quoque peregrinas Oras lustrares, & Nobilissimarum Gentium mores ac studia præsens cognosceres.

Nec

(b) l. 220. §. 3. ff. de V. S.

Nec alia post reditum in Patriam vita Tua fuit, quàm Virtutis ac Honestatis certissimum exemplar: Verùm enim verò, ut ut præclara hæc, & cum Maximorum Hominum laudatis exemplis adæquanda, poteras quidem magnum inter vivos nomen tueri: poteras etiam post sera fata commemorationem Tui sperare; neque dixerim vana hæc, aut nequicquam ad nos pertinere; Cæterum quantum his præstat, ex TE quoque relinquere, qui Posteritati intersint, qui vivam Tui imaginem circumferant, in quibus Ipsemet, ceu ab interitu vindicatus, vivere ac renasci videaris? Gloriosum & Magnificum solet haberi, ad Confilia publica vocari; Congregationibus Solennioribus intervenire; & laudabili aliquo negotio Hominem inter Homines agere; Ast quid de eo censëbimus: Concilio mundi post nos futuri adesse; post aliquot Seculorum ambitum in hoc Orbis Amphitheatro iterum comparere, & continua prole nunquam Generis Humani Consortio excedere? Hac cogitatione, SPONSE NOBILISSIME, commodis potius Cælibatus carere, quàm Immortalitati per Conjugium adipiscendæ renunciare TE voluisse reor, cum optimo consilio ac prudentissimo iudicio CROMAYERAM Vitæ consortem TIBI deligeres, Genere Nobilissimam, ætate virenti, Corporis ac Animi Dotibus præprimis conspicuam. Solent, qui die Nuptiarum DESPONSATORUM Laudationes instituunt, Decora FAMILIÆ præcipui Argumenti loco tractare; Ab hoc instituto prudens discessi. Neque enim Annales nostri vel ARTZATIOS, vel CROMAYEROS silent, & materiem ante me dudum ab aliis deductam hîc repetere supervacaneum duxi. Ac licet re non suâ gloriari videatur, qui solâ Nobilitate Generis commendatur, cum ex propriâ virtute magni Viri rectius æstimentur; Neutiquam tamen negandum censeo, tantum Virtuti ex sorte nascendi accedere, quan-

quantum ipsa Virtus novis Hominibus solet adjicere. Ut igitur laude quàm maximâ dignos judicamus, qui ingenio industriâq; per bonas artes ad aliquod fastigium adscenderunt, ita Claritatem quoque Majorum in ipsâ sobole revereri par est; ac si generosam stirpem par animus conceomitetur, quis non intelligit, maximas Ei partes utique deferendas, suâque ipsum prærogativâ haut defraudandum? Equidem Divinæ benignitati multum debere existimo, quibus in sorte fuit, aut feliciter nasci, aut per virtutem nobilitari; plurimum verò, qui & Natalibus clari, nec cætera degeneres sunt. Utrumque, ARTZATI, in TE cadit; Etenim in Civitate Nobilissimâ natus es, quæ tot abhinc retrò annis sub IMPERIO AUSTRIACÆ MANSVETUDINIS Præclarissimorum Virorum feracissima semper fuit; & absit modo invidia, excipiet hoc ævum sub Eiusdem DOMUS utinam perpetuâ, certè diuturnâ POSTERITATE jugis felicitas. De Majoribus autem Tuis quid attinet dicere? Neque enim ignota Nomina sunt; & quis adedò peregrinus foret, ut ARTZATIOS aut SÄBISIOS ignoret? Agnoscit reverenter præsens hæc ætas egregia Ipsorum in Rempublicam Merita, cui & olim, & nunc prosperis quidem rebus usui ac Ornamento, adversis autem auxilio & Saluti fuere. Ac Hi quidem, cùm in hoc tam exiguo vitæ curriculo tantis laboribus exercerentur; cùm tot curis atque vigiliis se ipsos consumerent ac toties de vitâ ipsâ disceptarent; cùm usque ad extremum spatium, nullum tranquillum atque otiosum spiritum ducerent; quam aliam mercedem expetivere, præter hanc laudis & gloriæ? At, si nihil animus prospexisset in posterum; si, quibus regionibus vitæ spatium circumscriptum est, eisdem cogitationes suas terminassent; si denique secum moritura omnia arbitrati fuissent; otium pro labore, pro periculis securitatem maluissent. Horum imagines non solum ad intuendum, verum

verum etiam ad imitandum TIBI proposuisti. Obversatur adhuc omnium animis Gratiissimæ Recordationis Parens Tuus ejusdem Nominis; Quâ fide Is hanc Patriam dilexit? Quâ integritate Civibus suis consuluit? Quâ sinceritate in Senatu versatus est? Ædes Eius non nisi virtutum omnium Sanctuarium habitæ, optimo cuique certissimum refugium erant; nec quisquam aut Bonas Artes ardentius dilexit, aut Earum Cultores liberalius fovit; ut dubium non esset, pluribus illum Virtutibus abundare, qui alienas sic amaret. Mihi quidem longioris absentia conditione præ aliis flebilis occidit, nimiumq; in Eo amissem, si non, qui Honorum & Virtutum Paternarum Heredes extitere, Clientelas quoque Familiars benignè amplecterentur. Eludant licet, qui dum facere laudanda susque deque habent, laudari quoque ineptum putant; Horum enim & Vita indecora & inglorius finis. Quod si huc advertant, quanto majora Virtuti præmia constituta videbunt? Ut nunquam evidentioribus indiciis comprobatum esse existimem: quæcunq; ab Hominibus egregiè laudabiliterq; fiunt, fructus quàm amplissimos ferre, ipsamque progeniem exinde quàm maxima incrementa sentire. Itaque & DOMUM VESTRAM indies magis florere lætantes videmus, & DEFUNCTI, quod frequens in ore habuit, VIVIT POST FUNERA VIRTUS; Quicquid enim ex EO amavimus, quicquid mirati sumus, manet mansurumque est in animis Hominum, in æternitate temporum, famâ rerum. Nam multos Veterum velut inglorios & ignobiles oblivio obruit, Parens Tuus posteritati narratus & traditus superstes erit. Ad hæc exempla TE vocare, de Virtute Tuâ quasi dubitantis foret, quæ cum noctes & dies animum stimulis Honoris conceitet, ac admoneat, non cum vitæ tempore esse dimittendam commemorationem Nominis Tui, sed cum omni Posteritate adæquandam; haut sanè acquiescendum

dum TIBI censes in Eâ, quam TIBI MAJORES  
TUI pepererunt gloriâ, quamq; vel Paterni, vel Mater-  
ni Generis Viri Maximi & Insignes, quos vivos adhuc  
victurosq; suspicimus, adstruere TIBI possunt. Quin  
dudum omnis Tua cogitatio in eo defixa est, ut Tuis  
ipse Moribus Tuisq; meritis viam ad immortalitatem  
TIBI parares. Primùm autem is mentis TUÆ status  
est, ut dubium sit, naturâ, an institutione acceperis fu-  
gere, quæ indecora; sectari, quæ honesta sunt; cumq;  
plurimùm judicio valeas, comitatem quidem facilita-  
temq; semper retinuisti, sed ductu quodam congenito,  
severiora Studia prætulisse visus es; quo factum, ut re-  
ctissimum ingenium disciplinâ perficeres. Nam licet  
multi excellentissimi Homines sine doctrinâ, naturæ  
ipsius habitu, moderati & graves extiterint, ambiguum  
tamen esse non potest, cum ad naturam eximiam atque  
illustrem accesserit ratio illa confirmatioq; doctrinæ,  
tùm illud nescio quid præclarum ac singulare solere ex-  
istere. Sunt, qui Seculo huic nostro contemptum Bo-  
narum Artium impudent; jurène, an immeritò, ipsis de-  
fensionem relinquo; modo ii non sint, qui hunc præ-  
textum inertiae suæ quærant, & culpam, quæ Ipsorum  
est, alienâ invidiâ declinent. Etiam si enim verissimum  
sit, eò impendi laborem, unde emolumentum ac Honos  
speratur, nec Ipsam plerumque Virtutem sine præmio  
coli; Mihi tamen, qui ita sentiunt, ut pulcerrimæ rei  
fructum vel ex quæstu petant, vel inani ambitione me-  
tiantur, vim Ejus veram haut percipere videntur. Neq;  
de doctrinâ disferentes aliam intelligimus, quam quæ  
vitam instruit, Suiq; cultorem ita disponit, ut utramq;  
fortunam æquabiliter ferat; hanc publicæ privatæque  
rei Magistram atque Tutricem, quam etiam qui non  
possident, revereri ac suspicere coguntur. Quo in ge-  
nere summa TE consecutum non sinit me verecundia  
Tua dicere; Sed ita profectò est; Idq; cognitum per-  
spe-

spectumque mihi fuit jam dulcissimi illius contubernii  
tempore, quo Heidelbergæ primùm ac deinceps inter  
Batavos dignari me sustinuisti. Crevit postmodum cum  
Annis vis illa judicii, junctâq; cum peritiâ rerum ac Ho-  
minum jugi doctrinâ penitus est corroborata. Faten-  
dum tamen, ejusque rei veniam ultrò mihi dabis, cum  
peregrinationibus feliciter finitis Domum reversus es-  
ses, complura TE ex NOBILISSIMI VIRI, ADAMI  
CASPARI AB ARTZAT, Fratris Tui conversatio-  
ne consuetudineque hausisse; qui cum summo ingenio  
præditus, eodem Virtutis ac Studiorum itinere TIBI  
prævisisset, statim cognoscendum se Patriæ præbuit,  
qualis esset, tantamque in omnium animis opinio-  
nem de Se excitavit, ut vivo adhuc Parente, optimè de  
Republicâ merito, sed jam annis, valetudine curisque  
fractò, in AMPLISSIMUM ORDINEM adsci-  
scretur. Nec quenquam bonum sefellit Expectatio  
Ejus, quin, quod interdum contra evenire solet, major  
reperitus est, nobis sanè inter præcipua gentis nostræ  
ornamenta numerandus. Eadem spe TE quoque nunc  
prosequimur, ut, qui conditione nascendi proximum  
ab Eo locum obtines, minimo quoque intervallo Hono-  
ris & gloriæ Illum attingas. Et jam iisdem vestigiis in-  
cedit tertio-genitus Frater Tuus, nobilissimæ Indolis  
Jovenis, quam industriâ, assiduitate, rerum præclaris-  
simarum cognitione, domi ac peregrè bellissimè exco-  
luit; Rarâ temporum felicitate, ubi TRES FRATRES  
IISDEM PARENTIBUS nobili Genere procreati, su-  
spensa Hominum judicicia teneant, Cui potissimùm ex  
Illis ingenii Virtutisq; palma debeat. Gratulandum  
itaque optimæ MATRI, quæ Sanctissimæ Educatio-  
nis fructum pio adfectu nunc percipit; Gratulandum  
AMICIS, quorum exaudita sunt desideria: Gratulan-  
dum etiam PATRIÆ, quæ pluribus hinc fulcris inniti-  
tur, egregiâ juventute exornatur, magnis ingeniis il-  
lustra-

lustratur. Tu verò, Sancta Anima, quæ Pictate, Fide, Constantiâ in Terris meruisti, ut felicissimâ SOBOLE DOMUM TUAM firmares, fruire in illo Beatorum Consortio incognitis nobis gaudiis, & si qua Piis Manibus rerum Humanarum post fata superest Cura, fruire hoc quoque Gentilitiæ prosperitatis solatio æternumq; lætare. Sed ne longius contemplatione communis Vestræ Virtutis & Gloriæ abripiar, ad TE, NOBILISSIME SPONSE, redeo. TIBI enim Lux hodierna præ cæteris lætissima affulsi, quâ faustis Ominibus Conjugiū Tui Primordia prosequi fas est. Haut difficulter crediderim, ante aliquod tempus longè aliam TIBI mentem, alias curas fuisse; cum præparato ad magnâ quæque animo exerendæ Virtuti Tuæ Campum circumspectares. Ac licet Arbitro hujus Universi ita placuisse videatur, ut rerum agendarum quasi sterile nobis Seculum esset, expedita tamen res erat, nec occasio defuisset explendi honestissimi desiderii. Verùm aliud in fati fuisse mox patuit; Transeundum enim in castra Cupidinis Tibi fuit, Consiliis, quæ aliorum TE trahebant, in aliud tempus dilatis vel penitus discussis. Hos nempe ludos sibi fortuna facit, dumque nos infirmi Mortales omninif, quæ intendimus, adsequi, studemus, Ea transversos nos agit, & mirantibus nobis alium ordinem, aliam viam præscribit, per quam ad destinatum unicuique in hoc vitæ humanæ teatro locum perveniamus, aliis Spectatorum Partibus adsignatis Felices, quos tunc benignius respicit! iterumq; felices, qui personam sibi impositam decenter sustinent! Tuam verò, ARTZATI, sortem, qui non felicissimam prædicem! Nancisceris enim properantis ad vota Tua fortunæ beneficio, quod neque ferus Mars Tibi dedisset, nec laboribus ac Vigiliis dies noctibus continuati perperissent. Quin immò Vitæ hætenus per Virtutem actæ præmium id esse veriùs dixerim, ut qui primam ætatem, quàm

quàm alii voluptatibus consumunt, vel otio tranfigunt, bonis artibus honestissimisque Studiis totam impenderis, jam condignam rei benè gestæ mercedem consequeris. TIBI igitur, in CROMAYERA TUA, SPONSA contingit, quam sine exceptione laudare meritò possumus; siue enim, quæ fortuita vocamus, spectes, seu, quod magis est, animi dotes in EA examines; utrobique eximia cuncta, velut quibus alterutrum saltim dispensatione Numinis obvenit. Rarò siquidem accidere videmus, ut externis parier, illaque interiori parte, quæ Hominem constituit, Humana fragilitas excellere soleat; sed plerumque his viribus bona malaque nostra miscentur, ut, ubicunque enitescit animus sapiens ac penè cœlestis, corporis infirmitatibus obruatur; alibi species honesta appareat, sed non & virtus habitet: ac si bonæ menti formæ quoque adsit, fortis iniquitate cuncta obscurentur. At SPONSÆ TUÆ quanta conformitas, quantusq; cumulus omnium laudum omnisque præstantiæ obtigit? Nihil nisi nativum in oris vultusque elegantia, nec formæ decus ab ornatu quæsitum. Jam Pietas, Modestia, Humanitas, non ad speciem adsumptæ Virtutes, sed naturæ munera; quibus omnibus animam inspirat ac veluti pondus adjicit felix nascendi conditio. Talem esse oportuit, quam Tua TIBI fors destinaret; Talem TIBI EAM propitium Numen conservet atque huic gaudio, his bonis addat perpetuitatem. Ita fore non firmissima solum spes est, sed fiducia planè certissima. Etenim cum Divino munere hanc veluti mercedem Virtus Tua obtinuerit, non nisi vera bona ab hac manu venire piè credimus. Nec omisum est quicquam, quod humani consilii providentia exigit, ita tamen, ut Supremo rerum Diribitori nec ordo, nec modus præfigeretur; Sæpè enim in his vitæ necessitatibus occurrunt, quæ quoniam impares iis sumus, fato sunt permittenda. Porro,

Porro, quod omnis conjunctionis vinculum esse solet, summa Conjugii Vestri æqualitas est; Paritas enim inter Vos est non fortunæ solum, sed & morum; ambo in ætatis flore constituti primos amores, integros affectus communicatis; magnum benevolentiae constanter retinendæ incitamentum. Reperio apud Veteres, moribus Romanorum obtinuisse, ut quoties inter Virum & Uxorem aliquid jurgii interceserat, in Sacellum DE Æ VIRI-PLACÆ, quod in Palatio erat, venirent, ibique invicem locuti quæ voluerant, contentione animorum depositâ concordēs reverterentur. VOBIS, CONJUNCTISSIMI AMANTES, non discordiæ componendæ, quæ nulla sit, sed Pacis quotidianæ ac Domesticæ custodiendæ Sacellum TORUS GENIALIS esto, nec aliud inter Vos certamen exurgat, quàm honestissimum illud mutuæ charitatis, quam ipsum tempus augebit. Sic antequam proventus suos Campi felices iterum produxerint, auspiciatissimi CONJUGII fructus lætantibus AVIS, exultantibus VOBIS, gratulantibus cunctis, videbimus, indeque nascentur, qui mixto CROMAYERORUM ARTZATIORITYMque Sangvine egregiam Posteritatem constituent, Virtutemque ac Gloriam MAJORUM, ævo suo vivis Imaginibus tradant.



GENEROSI, MAGNIFICI STRENUIque  
 VIRI  
 AUGUSTINI HENRICI  
 CROMAYERI,  
 à Groß-Sagewitz, in Bukowien  
 & Grunaiç/  
 TOPARCHÆ,  
 In Augusta Vratislaviensium Republica  
 SENATORIS PRIMARII,  
 Rerumque ibidem militarium  
 COMMISSARII,  
 XXVII. Maji, A. C. M. DC. LXIX,  
 Ætatis LVII,  
 Humanis rebus exempti,  
 VII. Quintilis, nobili splendidissimarum exequiarum ritu conditi  
 MEMORIÆ POSTHUMÆ  
 SACRUM MONUMENTUM  
 AUTORE  
 MARTINO HANKIO,  
 In Gymnasio Elisab. Philos. Practicæ,  
 Histor. & Eloq. Professore.

VRATISLAVIÆ,  
 In Hæredum BAUMANNIANORUM Officina, typis  
 exprimebat JOH. CHRISTOPH. JACOBI, Factor.